

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO ADOLPHO  
GVNTHERO

FAVTORI SVO ATQVE AMICO  
ÆSTVMATISSIMO

S. D.

D. FERDIN. AVGVST HOMMEL:

**S**criptura non indigent Tuæ laudes, Nobilissime Doctissimeque Respondens, quippe quæ occultae esse non possunt, tum multis modis aliis, tum potissimum hac ipsa erudita Dissertatione Tua palam manifestatae. Possem equidem de Tua in quovis studiorum genere industria singulari, possem de flagrantissima discendi cupiditate, possem denique de Tua in Iurisprudencia, omnibusque bonarum litterarum studiis eruditione haud vulgari copiose hic dicere, horum enim omnium, ipse ego, cum lectionibus meis et priuatis disputationibus adhuc interesses, testis fui atque spectator. Enimuero scribere ista nec opus, ut dixi, videtur, nec singularis Tua patitur modestia.

Nolo